

*Christiani, societatem cum Rascianis contrahentes, ex portione tantum sua, decimam solvant.*

#### A r t i c u l u s 4.

Item, quod si quando Christiani, cum praefatis talibus Rascianis et Schismaticis, societatem, sive contractum habuerint, et araturas, sive alias agriculturas pari auxilio fecerint; de parte fructuum Christianis cedenda, decimae solvantur: De reliqua vero parte, talibus scilicet Schismaticis cedenda; tales decimae non exigantur.

§. 1. Hoc tamen adjecto, et per expressum declarato; quod tales Rasciani, sive Schismatici, non censeantur, et neque sint in perpetuum ab hujusmodi decimarum solutione exempti, sed tantummodo per aliquos annos, et interim, quoisque scilicet bono modo, se tales alienigenae et transfugae, in Regno Ungariae, et dominiis Sacrae Coronae subjectis firmabunt; et ut talium transfugarum exemplo, etiam alii, ditioni Turcorum subjecti, ad veniendum tanto promptiores efficiantur, quanto tales, qui jam venerunt, tanta praerogativa conspexerint esse donatos.

#### ARTICULI, DE OFFICIO PALATINATUS. ANNO 1485.

*Dalmatiae Judex.*

#### A r t i c u l u s 12.

Duodecimo; tota Dalmatia subjacere debet judicio Palatini: Et pro proventibus, habet in illa certas insulas. \*)

#### MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM VI. SIVE MAJUS, ANNI 1486.

*Causae potentiarum, damnorum et injuriarum, in primis Octavis: Si vero in facto possessionario fuerint; in secundis diffiniantur. Et evocationes, omnes Judices dare possint.*

#### A r t i c u l u s 6.

§. 3. Evocationes vero cum insinuatione, in quibuscumque factis fuerint; sub sigillis omnium Judicum Ordinariorum, tam scilicet Regiorum, quam Palatinarium, et Judicum Curiae, atque etiam Banorum Sclavoniae, Croatiae, et Dalmatiae, sed et Waywodae Transylvani, libere decernantur.

*Bani, et Comites, in Ecclesias Dei, quarum jus patronatus ad Regem spectat; se ingerere non praesumant.*

#### A r t i c u l u s 37.

Item, statutum, et diffinitum est, prout etiam per Serenissimum quondam Dominum Sigismundum Imperatorem sanctum fuisse dignoscitur.

\*) Maxima pars Dalmatiae subjacebat tunc dominatui Reip. Venetiarum.